

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1250

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

339. *Der päpstliche Legat Bischof Petrus von Albano trägt dem Bischof von Straßburg auf, die dortigen Dominikaner innerhalb vierzehn Tagen nach Empfang dieses Schreibens in den Besitz des von ihnen gekauften St. Bartholomäushofes zu setzen trotz des Widerstands einiger Straßburger Geistlichen. 1250 September 6*
 5 *Valenciennes.*

Venerabili in Christo patri . . . dei gratia episcopo Argentinensi P[etrus] ejusdem miseracione Albanensis episcopus apostolice sedis legatus¹ salutem in domino. exhibita nobis religiosorum virorum fratrum predicatorum de Argentina peticio continebat, quod, cum ipsi quandam curiam scilicet sancti Bartholomei de vestro et civium
 10 Argentinensium assensu emerint² ad manendum ibidem pro eo, quod in domo sua, quam habent extra Argentinam, comode commorari non possunt, . . . decanus et quidam alii clerici Argentinenses, quominus pacificam possessionem loci ejusdem adipisci potuerint, eisdem fratribus se indebite opposcentes ipsos super hoc pretextu quarundam generalium litterarum, que de ipsorum ordine nullam faciunt, ut dicitur,
 15 mencionem, multipliciter aggravant et molestant. cum autem fuisset super hoc apud sedem apostolicam litigatum diucius coram nobis et tandem, assumpto legacionis officio, negocium ipsum dominus papa duxerit nobis specialiter committendum, nos attendentes labores multiplices, quos fratres predicti propter hoc sustinuisse noscuntur, et volentes ipsorum paci et tranquillitati, quantum cum deo possumus, providere, ut vacare possint liberius officio predicandi verbum dei et aliis, que ad salutem
 20 pertinent animarum, paternitati vestre auctoritate, qua fungimur, districte precipiendo mandamus, quatinus, non obstantibus quibuscumque litteris a sede apostolica vel legatis ipsius sedis obtentis, que de ipsorum fratrum ordine expressam mencionem non fecerint, cum indultum sit eis a sede predicta, ne per litteras, que de ipsorum
 25 ordine expressam mencionem non fecerint, nequeant aliquatenus conveniri, ipsos infra quindecim dies post receptionem presentium in corporalem possessionem loci predicti auctoritate nostra, sicut justum fuerit, inducatis et defendatis inductos, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo. datum Valencenis anno domini 1250, 8 idus septembris.

30 *T aus Straßb. Thom. A. Dominicains lad. 2 or. mb. c. sig. pend.*

340. *Bischof Heinrich von Straßburg trennt auf Grund eines schiedsrichterlichen Erkenntnisses die Straßburger Probstei der heiligen Dreieinigkeit vom Kloster Marbach. 1250 September 20.*

Heinricus dei gratia Argentinensis episcopus universis tam presentibus quam
 35 futuris noticiam rei geste. commissum nostre sollicitudini ministerium exigit, ut ecclesiarum nostro regimini subjectarum saluti salubriter intendamus, ea presertim, que reformatione vel emendatione digna fuerint, emendantes. cum itaque inter virum

¹ *Cfr. nr. 315.*

² *Cfr. nr. 321.*

venerabilem Heinricum abbatem Marpacensem et conventum ipsius ex parte una et Gerhardum prepositum sancte Trinitatis et fratres ipsius ex altera¹ super quibusdam privilegiis, redditibus et rebus aliis tam mobilibus quam immobilibus controversia frequens aliquamdiu verteretur, causa tandem ad nostram presentiam devoluta, auditis et intellectis petitionibus et rationibus utriusque partis, postremo abbas et prepositus memorati pro se et suis capitulis compromiserunt in me et viros honestos et discretos C[onradum] scolasticum et E[berhardum] de Entringin canonicos ecclesie nostre et eadem causa tali modo fuit per nostrum arbitrium terminata, quod nos de voluntate partium absolvimus abbatem a gubernatione ecclesie sancte Trinitatis, prepositum vero et canonicos dicte ecclesie ab obedientia dicti abbatis duximus absolvendos, nobis prefate ecclesie sancte Trinitatis gubernationem retinentes, rescatis et renunciatis privilegiis, instrumentis et petitionibus universis. predia vero, possessiones et res alie, sicut eas antea possederant, separatim utrique ecclesie remanebunt. acta sunt hec anno domini 1250, mense septembre, in vigilia Mathei apostoli, presentibus et consentientibus canonicis majoris ecclesie et sancti Thome et sancti Petri junioris. ut autem hoc rationabile factum in sua firmitate permaneat inviolatum, presentem paginam tam nostri sigilli quam predictarum ecclesiarum munimine fecimus roborari.

*B aus Straßb. Bez.-A. G nr. 110 or. mb. c. 4 sig. pend. delapsis.
Gedruckt bei Schöpflin Als. dipl. I, 404 nr. 541 wohl nach Copie.*

341. *Das St. Thomascapitel zu Straßburg trifft eingehende Bestimmungen über die Vertheilung seiner Einkünfte an die einzelnen Canoniker. 1250 December 7.*

N[icolaus] prepositus, B[urcardus] decanus totumque capitulum sancti Thome Argentinensis omnibus Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem cum noticia subscriptorum. sciant cuncti tam presentes quam futuri, quod, cum multociens super divisione reddituum prebendarum nostrarum inter nos questio esset orta, nos de communi capituli nostri consensu ad sedendam^a et pacificandam omnis dubitationis et discordie questionem ordinationem subscriptam de consensu domini nostri H[einrici] Argentinensis episcopi fieri jussimus et conscribi. est autem hec ordinatio: volumus, quod denarii sive argentum, quod provenit nobis ex diminutione nostre reddituum prepositure, et bladum ex nostra proveniens communitate dentur omnibus presentibus, in studio commorantibus, peregrinantibus et ad^b curiam Romanam euntibus in propriis vel ecclesie sue vel consanguineorum negociis vel domitorum, dumtamen aliena sibi non assumant negocia promovenda, cum tales, ut parcant expensis, et causa lucri venire ad Romanam curiam videantur, vel etiam omnibus, qui propter negocia propria sunt absentes, dummodo non videantur domicilium mutavisse. item denarii provenientes ex servitiis, refectionibus et anniversariis

^a) *T sedendam.* ^b) *T add. in.*

¹ *Cfr. nr. 199 not. 2.*

sive remediis tantum dentur in civitate presentibus, exceptis septem anniversariis, videlicet domini C[onradi] quondam prepositi nostri, Sigebotonis quondam cellerarii nostri, Erbonis dicti Judicis, Junte sororis sue, Erbonis junioris, festum scilicet Johannis ante portam latinam, Rûdegeri dicti Ruses, Hessonis concanonici nostri, 5 que tantum in missa pro defunctis existentibus consuevimus ministrare. volumus tamen ad incitationem canonicorum discere volentium et ad habendum in ecclesia nostra litteratos, ut, quicquid detur singulis servitiis, refectionibus et anniversariis, quod excedat in numerum undecim denariorum, etiam existentibus in studio ministrare. item de denariis quadragesimalibus statuimus, ut per totam quadragesimam 10 singulis diebus dentur duo denarii cuilibet canonicorum, qui in matutinis fuerit vel etiam in missa majore. item in vigilia sancte Aurelie detur unus solidus denariorum tantum cuilibet canonicorum in processione et non alibi existenti. item de denariis sive vino seu blado, qui nobis dantur in conversione sancti Pauli et in aliis festis sive anniversariis provenientes de bonis, que ex nostra excolimus communitate, 15 volumus, ut expense facte primitus deducantur et residuum, ut dictum est, inter fratres et canonicos dividatur. volumus etiam, ut, quicumque canonicorum alibi residentiam habeat^a vel in aliis ecclesiis, in quibus prebenda non consuevit dari nisi presentibus, recipiat prebendam, denariis et blado careat ex diminutione provenientibus prepositure, aliis omnibus robur habentibus et firmitatem, exceptis infirmis et 20 minutis, quibus omnia predicta debent ut presentibus ministrari. item nolumus redditus prebendarum mortuorum nobis indulgentia concessos dividi deinceps aliquatinus inter fratres, sed ad comparandas proprietates et ad nostrarum prebendarum augmentationem reddituum reservare. nos H[einricus] Argentinensis episcopus predictis nostrum assensum adhibuisse presentibus confitemur. actum anno domini 1250, 25 in crastino beati Nicolai.

Mai 6

Okt. 14

Jan. 25

*T aus Straßb. Thom. A. docum. hist. lad. 2 (statuts) or. mb. c. 2 sig. pend.
Gedruckt darnach bei Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 315 nr. 38.*

342. *Das Straßburger Domcapitel beschließt, das Bäcker- und das Zapfenamt der Kellerei zu entziehen und zu eigener Verfügung zu behalten. 1250.*

30 F[ridericus] prepositus, B[ertholdus] decanus totumque capitulum Argentinense universis presentem paginam inspecturis geste rei noticiam. scire volumus presentes et futuros, quod nos unanimiter super officio pistorie nostre sic duximus ordinandum, quod vacante celleraria nostra officium predictum ad communes usus fratrum pertineat ita, quod, si pistor, qui nunc est, antequam dicta celleraria 35 vacaverit, decesserit vel alias idem officium vacare contigerit, ei, qui nunc est cellerarius, videlicet F[riderico] preposito nostro viginti quartalia tritici et totidem siliginis, quam diu cellerarius noster fuerit, singulis annis persolvemus et nos de eodem officio pistorie secundum quod nobis videbitur expedire libere disponemus et successor dicti cellerarii nichil sibi in suprascripto officio pistorie vendicabit, sed

a) T habeant.